



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Vti anima fidelis in prædictis institutionibus sese indies exercere, easq[ue]
velut speculum ob oculos interiores iugiter constituere debeat. Can. XL.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Vita abstra-
cta quana
necessaria
fiat.

laudetur, an vituperetur, patiat, an consoletur, sed à longè illum respiciat, ad me suspenſa, mihiq; vnita. Pro hac autem abstractione obtinenda (quod supra monui) necessarium est vt ante super teipsam vigiles, summopereq; te obserues, quo discernere deprehendereq; confestim quæas, quid in intimis tuis lateat, quid te moueat, quid trahat, quid alliciat, quid te occupet, quid fatiget, quid sollicitet, quid inclinet, quid deniq; ames aut intendas, an ipse tu sis, an creatura alia, an ego. Ea propter quicquid huiusmodi aliquid quod ego non sum, aut cuius ego causa non sum, deprehenderis, mox eijcias oportet: huius enim es quod te possidet. Ego verò nolo cum socio amari, sed solus in te quiescere cupio. Atque ideo nisi me solum queris, nunquam perfectè inuenies.

Omnes igitur creaturæ à te recedant, nullum medium in te finas, nullum impedimentum, nulla maneat dissimilitudo, vt præter solum merum necessariumq; sui vsum omnis creatura à te proscribatur, nulla intus in corde tuo locum sibi vendicet, nulla cor tuum occupet, vt nudam liberamq; te mihi serues, & ad omnem voluntatem meam te mihi relinquant.

Cæterùm, quicquid tibi acciderit, satis est vt accidisse senseris. Amplius te cum illo non occupes, nec finas in te illud morari aut sui speciem memoriamve relinquere: sed projice in me, & mihi tui omnemq; curam committe, omnem multiplicitatem ac mutabilitatem prætergredere ac transuola, & nusquam præterquam in me solo subsiste. Itaque me solum, & in omnibus vnun quære, longanimitery dum inuenieris, deuoty ac iterum dum inuenieris, prætolare plena fide, super mea bonitate ac sapientissima beneuolentissimaty, providentia innitens. Vbi si moram fecero, expecta quia veniens veniam. Hoc modo & anima desiderijs proprijs omnibus exuta, ab omni amore ac delectatione creaturarum libera, ab imaginibus & phantasmatibus aliena, in simplicitate ac nuditate cordis, perfectè mihi inhæreas, teq; mihi abs te possidendam offeras & relinquant: stesq; mecum in illo nunc æternitatis, vbi nec præteritum, nec est futurum. Ad illud. Nunc modo semper aspira, omnia & teipsam quoque, hoc est, corpus tuum & sensualitatem tuam, in isto nunc æternitatis respiciens, mortifica, abnega, & relinque. Quasi enim ab ijs separata aut extra mundum esses, omnia quæ in mundo sunt, à longè, ac veluti abs te relicta, atque iam tibi aliena, intueri. Cogita te solam esse mecum, & metecum, & quasi nulla tecum alia creatura foret. Quicquid præter me aliud sentis, nihil æstima, quia reuera & extra me nihil est. Pari modo nulla tibi creatura nocebit, modo phantasias, imaginationes, rerumq; siue curas, siue affectiones intrate non receperis.

Hebr. 2.

Simplex &
nuda vt a-
nima fiat.
Nunc æter-
nitatis quæ
fiat.

EPILOGVS.

Vti anima fidelis in prædictis institutionibus sese indies exercere, easque velut speculum ob oculos interiores ingiter constituere debeat.

CANON

HAEC tibi trado perinde ac filiae atque sponsae meae & anima, veluti regulam ad exuendum veterem hominem te instituentem, quibus post hac in nouitate spiritus ambulans, indies ad perfectiora te extendas. Itaque sapius hanc relegendum, quoties aliquid minus te offenderis obseruasse, toties feruore resuscitato, propositum renoua. Porro quamuis hanc legenda tibi tradam, cupio tamen nihilominus ut cordis tui aures meae semper pateant inspirationi, quo eadem a me & intus audias, & foris legas. Propterea autem inspirationes meas scriptas ob oculos tibi poni volo, quoniam vanis plerumque amicorum & literis & nuncijs oblectaris, quae cordi tuo nihil praeter distractionem, inquietudinem, inspiditatem atque obscuritatem adferunt. Quibus posthabitis, ne salutaria quae legas tibi ex me desint, hanc tibi legenda trado: quorum contemplatione, meique amore reliqua omnia (quae animam tuam adulterare nituntur) contempnas. Tanto autem hanc mea institutio tibi debet esse acceptior, quanto ego qui hanc inspiro sponsus tuus & anima, esse debeo dilectior. Quippe qui non tantum dilectus, sed dilectissimus, desideratissimus atque praeter omnibus placere debeo. Tanto etiam abs te hanc obseruari fidelius volo, quanto ea quae hic traduntur a me, non carnale mundanumve cor, sed spirituale ac mihi deuotum oblectant.

Quandoquidem non lenocinio aut nugagitate verborum hanc aures tantum mulcent, sed animum amantem pascunt veritate. Reliquum est ut tu semper vigiles. *Ego sicut ad ostium tuum, & pulsio. Aperi mihi cor tuum soror mea sponsa. Præbe cor tuum mihi, & me solum desidera, quandoquidem ego cupio te. Non potes autem recipere me, quamdiu aliud amas, præterquam me. Non potes habere me, quamdiu aliud extra me habes in te. Non potes sentire me, quamdiu possides te. Exi igitur & relinque te, ut ego te, & tu solum possideas me. Tempus hoc breue est, quod verò sequitur sine tempore, sine fine, æternum est. Tu igitur (iterum moneo) vigila, ut me sponsum & anima, & filia, & sponsa habeas, & germanè te mihi sponsam dignam exhibeas. Itaque me redemptorem tuum ac dominum tuum ama, me cogita: teipsam attende, te considera, mihi adhære, mecumque perseuera. Iam in me viue felix, & Vale.*

Alloquiorum libri I. finis.

D. IOAN. IVSTI LANSBERGII,
Carthusiani, ad Religiosam Deoque deuotam virginem Claram Dockumensem, in monasterio ad sanctos Machabæos in Colonia, nouam Iesu Christi sponsam Epistola, & in librum secundum Alloquiorum Iesu Christi ad quamuis fidelem animam.

P R A E F A T I O.



Quotiescunque in mentem tibi subierit virgo Deo deuota, quod ex honestissima parentum domo, quod ex fratrum ac sororum turba primogenitam non quiniu comes, non princeps aut rex, non denique mortalium nobilissimus, sed cæli terraque Imperator optimus maximus Iesus Christus in sponsam sibi affcinerit, eo

V u u debet